

Die Antwort des Rates auf die Klagen des Bischofs.

Domini consules civitatis Constantiensis ad singula puncta supplicationis seu petitionis domni Hainrici episcopi Constantiensis pro parte sua in romana curia et coram domino nostro papa contra eosdem consules facte sic respondent, ut sequitur.

Et primo ad hoc quod ipse dominus episcopus asserit, quod ad ipsum et episcopos Constant. pertineat monetam fabricare, sic respondent: quod hoc est verum hoc tamen adhibito moderamine, quod moneta non fiat nec cudatur nisi que sub antiquo pondere consistat, videlicet quod una marcha argenti valet duas libras cum duobus solidis vel ad majus duas libras cum XXXII. den. Const. monete et sic est ab antiquo servatum sic etiam quod denarii sic fabricati et iterato in rudem massam argenti faciat unam marcham puri argenti conflata, massa talis pondus habeat unius marche argenti, et olim antequam sedes episcopalis esset in civitate Constant. collocata, jus fabricandi monetam in dicta civitate pertinuit dominis comitibus de Rordorf, qui etiam eo tempore monetam sub ipsorum armorum signis fabricabant ad pondus tale, quale superius est expressum. De qua moneta plures cives Constant. adhuc viventes denarios habuerunt et viderunt. Nec est verum, quod consules unquam ullo tempore episcopos Constant. in monete fabricatione quovismodo impediverint vel impediunt, cum dominus episcopus modernus monetam velit sub antiquo pondere per expresso fabricare. Dicunt etiam, quod ipse dominus episcopus monetarium in civitate Constant. instituit videlicet Conradum Betminger civem Constant. sibi que officium fabricandi monetam pro X. marcis argenti obligavit tali adjecto pacto, quod fructus officii non computentur in sortem principalem, qui etiam eidem domino episcopo juramentum prestitit jus monete sub antiqua consuetudine conservari, quam similiter ipsi consules in juribus ad monetam pertinentibus non perturbant, ymo in hiis, in quibus a jure ipsius monete per inadvertentiam monetariorum deviatum existit ipsum coadjuvant et juvant.

Secundo ad hoc quod ipse dominus episcopus civitatem Constant. asserit esse suam, eidem consules sic respondent, quod prout ipsi consules ab antiquioribus suis dici semper nec ejus contrarium unquam audiverunt: Locus, ubi civitas eadem adhuc est, situata fuit sicut etiam est die hodierna, fortis et quasi inexpugnabilis et insignis et ideo sedes episcopalis ibidem fuerat collocata et de loco qui dicitur Windichs a civitate Constant. ad unam dietam communem distante tunc fuit translata et quia de more est antiquitus observatum, quod principes spirituales, sicut sunt episcopi et similes in tribus